



Universitätsbibliothek Paderborn

Benedicti Ariæ Montani Hispalensis Poemata

In Qvatvor Tomos Distincta

In quo Dauidis Regis ac Prophetæ, aliorumque sacrorum Vatum Psalmi; ex
Hebraica veritate in Latinum carmen obseruantissimè conuersi

Arias Montano, Benito

Antverpiæ, 1589

Psalmvs XIII. Vsquequo Domine obliuisceris me in finem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-44993

PSALMORVM
PSALMVS XII.

Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus,
PROVIDENTIA VINDEX.

¶ Ad præstantem super octauam, Psalmus Dauid.

Ode Dicolas Distrophos.

¶ IAS ades redemptor & vindex; pius
Nam nullus extat, aut probus:
Rarum est nepotes inter Adæ perfidos
Veracis exemplum viri.

¶ Qui verba vanis adparata vocibus
Vtrimeque fallentes ferunt;
Docti labellis insonare lubricis,
Binis loquuntur cordibus.

¶ IAS dolosi labra ut oris lubrica
Linguamque scindat improbam:

Hæc qui insolente proferunt audacia,
Nos lingua nostra principes,
Nostrique labri compotes agnouerit,
Quis tutor est nobis datus?

¶ Vindex auaræ fraudis, inquit, pauperum
Direpta querens pignora,
Gementis excitatus usque egenuli
Lugubribus suspirijs

¶ IAS salutis auctor, insurgam modo
Et liberabo hoc retibus.

¶ Quæ dixit IAS dicta pura, candida;
Argenti & excretum genus,
Cauo perirens scoriam quod fætili
Ignis recoxit septimus.

¶ IAS redemptor ô tuum custos pecus
Seruabis, & reges bonus;
Assertor ac de gentis impuræ manu
In sæcla duces postera:

¶ Nam cuncta feruent conuoluta ab improbis,
Nusquam & quieti sunt pij:
Furente quum terrenus arte filius
Insurgit, & potens viget.

PSALMVS XIII.

Visquequo Domine oblitisceris me in finem?
EXOPTANDA TVTELA.

¶ Ad præstantem, Psalmus Dauid.

Ode Tricolas Tetraphos.

¶ IAS profundæ quem statuis modum
Oblitionis, qua premor heu, tux?

Quem negligendi, ut iam negato
Me videoas recreesque vultu?
Quem vel laboris consilij &, meum
Quis nocte seruens pectus inestuat?
Exercet aut quæ cor perennes
Anxietas, agitatque soles?
Quisve insolenti finis erit, meum
Instanti & hosti ut comminuat caput?
Auditor aduertere, atque vindex
Excipe iam famuli querelam:
Nostrisque lucem luminibus tuam
Præbe, sopore ut non moriar grauig.
Neu iactet hostis præualentem.
Se mihi, neu sua gesta cantet.
Namque inuidorum turba laboribus
Gaudebit amens (si mouear) meis:
Ait ipse nostrum in te tuoque
Munere præsidium locauit.
Compos salutis, spero, breui tux:
Gaudebit altis visceribus meum
Cor, & dicatis semper I A M
Carminibus referam benignum.

PSALMVS X I I I.

Dixit insipiens in corde suo.

HUMANI GENERIS
DEGENERATIO.

Ad præstantem, Davidis.
Ode Tricolas Tetraphos.
Demens corde ferox sic statuit suo,
Nullus nam est homines qui videat deum;
Hinc corruptio morum,
Hinc nullum studium boni.
IAS æthereis arcibus & genis
Obscurans hominum, quis sapiat, D E V M
Quis curætve, colatve,
Quarit cognitor optimus.
Defecere simul, turbaque perdita est
Omnis; nec studio qui caleat boni,
Vnum comperias, vel
Cuius facta Deus probet.
An non artifices fraudis, & impij
Norunt quid referam? qui populum meum?

C 2. Escanum